



**Vademecum Sive Praxis Opera Quotidiana Aliaque ritè  
peragendi, & per ea salutem & perfectionem propriam, ac  
proximi, instituto Societatis Jesu conformem assequendi**

De operibus solidæque devotionis exercitiis, quæ vel quotidie non  
peraguntur, ves fusiore indigent explicatione, quomodo cum majori fructu  
peragi possint

**Limpens, Ferdinand**

**Coloniæ Agrippinæ, 1744**

7tima Visitatio. Ut hæc omnia consequi possimus, innumeris Sacerdotibus  
dedit Christus consecrandi protestatem, & semper præsens manet in  
Sacramento Eucharistiæ.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54780](http://urn:nbn:de:hbz:466:1-54780)

tuo præservas à peccatis gravibus, venialia minuis, æstum passionum ac temptationum extinguis, & sic ad perseverantiam finalē, quam gloria æterna infallibiliter consequitur, commodissimam sternis viam. *Fac nos quasumus Domine, ita denuò cum Ecclesia rogo, divinitatis tuae sempiternâ fruitione repleri, quam preciosi corporis & sanguinis tui temporalis perceptio praifigurat. Qui vivis & regnas &c.*

7tima Visitatio.

*Ubi hac omnia consequi possimus, innumeris Sacerdotibus dedit Christus consecrandi potestatem, & semper presens manet in Sacramento Eucharistie.*

**Q**uo te induxit bone JESU amor tuus erga hominem? accepisti in incarnatione formam servi, ut eum redimeres. In Eucharistia latet sub velo inanimatarum creaturarum, quæ ne quidem substantiæ alicujus sed accidentium nomine veniant. In vita amore nostri subditus fuisti Mariæ & Josepho, modò in cælis regnans Rex Regum & Dominus Dominantium obedis voci hominis, & prolatis consecrationis à Sacerdote legitime ordinato verbis testis sub speciebus panis & vini. Et ut facilius omnia à te supra enumerata bona consequi possimus, innumeris in toto terrarum orbe Sacerdotibus (etiam, si pro dolor mali sint, quod sanè stupendum est) potestatem quasi & imperium super te tribuis. Nec hoc tantum in ordine ad illum

lum finem, ut sacro tuo corpore & sanguine,  
humanitate ac divinitate tuâ saginari possit ho-  
mo quivis. Sed ut etiam, quando non com-  
municat, refugere semper ad te, auxilium ac  
solatium petere, varia beneficia impetrare, om-  
nigenamque à te benedictionem accipere possit.  
Hunc in finem in ligneo sinis te includi taber-  
naculo, per manus Sacerdotis circumferri in  
Monstrantia aut Ciborio per templum, imò &  
plateas & loca varia, ut undique & ubique per  
te bona innumerâ consequi valeamus; & sic  
cum hominibus manebis usque ad consumma-  
tionem sæculi. O verè excessus amoris infiniti,  
unius supra alium! laudent te unâ mecum ex  
nunc usque in sempiternum Angeli, Sancti, crea-  
turæ omnes. Et quoniam dies præteriit & ad-  
vesperascit; non dimittam te, nisi spiritualiter à  
me sumptus benedixeris mihi mi Domine, ut  
multiplices sanctissimi Sacramenti effectus,  
quoties te sumo, in vita & morte plenè conse-  
quar.

Hæ quinque Praxes serviunt & in visitatione  
sanctissimi, & alias ad unum ex præcipuis soli-  
dæ devotionis suprà enumeratis exercitiis, au-  
gendum scilicet semper ac inflammandum amo-  
rem erga Christum Redemptorem tuum. Quo  
nil præter amorem & cultum debitum erga  
Deum Trinum & unum tibi salubritius magisque  
necessarium esse potest. Si tibi præplaceant Pra-  
xes aliæ in eundem finem melius judicio tuo ser-  
vientes, iis utere. Tantùm eò unicè collima,  
ut in amore & devotione tenerâ erga JEsum pro-  
te

te incarnatum, natum, vitam agentem privatum & Apostolicam, pro te passum, mortuum, in cælos ascendentem, & sub speciebus Eucharisticis in terra ad finem mundi continuò præsentem semper crescas ad mortem usque, & sic salvus eris.

### P R A X I S S E X T A.

*Petendi pro se & diversis Societatis nostra membris virtutes varias per merita Sanctorum nostrorum.*

**Q**uidam Romæ, cùm ad aras Sanctorum nostrorum sæpiùs celebrasset, sensit internum quendam instinctum ad easdem aras apud Deum Eucharisticum supplicandi in septemplici visitatione Chori pro se, variasque virtutes pro diversis Societatis membris per merita Sanctorum nostrorum exorandi modo sequente.

#### *Prima Visitatio.*

**D**omine JESU Christe, per merita & sacras *S. P. N. Ignatii exuvias*, per quas mortaliibus cuiuscunque ætatis, conditionis ac status tot beneficia contulisti, rogo te, ut mihi des, in me conserves, & jugiter augeas usque ad ultimum vite meæ momentum æstimationem sublimis vocationis meæ. Et ut Societatis Præposito Generali, Provinciarum & Domum per quatuor orbis partes Præsidibus, des gratiam sibi subjectos fortiter & suaviter institutoque nostro conformiter gubernandi. Pater noster.

*Secun-*